

Gildas Sapiens: De excidio conquestuque Britannie

2: the island of Britain

Chapter 3: the geography of Britain

britannia insula in extremo ferme orbis limite circium occidentemque uersus diuina, ut dicitur, statera terrae totius ponderatrice librata ab africo boriali propensius tensa axi, octingentorum in longo milium, ducentorum in latio spatium, exceptis diuersorum prolixioribus promontiorum tractibus, quae arcuatis oceani sinibus ambiuntur, tenens, cuius diffusiore et, ut ita dicam, intransmeabili undique circulo absque meridianae freto plagae, quo ad galliam belgicam nauigatur, uallata, duorum ostiis nobilium fluminum tamesis ac sabrinae ueluti brachiis, per quae olim transmarinae deliciae ratibus uehebantur, aliorumque minorum meliorata, bis denis bisque quaternis ciuitatibus ac nonnullis castellis, murorum turrium serratarum portarum domorum, quarum culmina minaci proceritate porrecta in edito forti compage pangebantur, molitioibus non improbabiler instructis decorata; campis late pansis collibusque amoeno situ locatis, praepollenti culturae aptis, montibus lternandis animalium pastibus maxime couenientibus, quorum diuersorum colorum flores humanis gressibus pulsati non indecentem ceu picturam eisdem imprimebant, electa ueluti sponsa monilibus diuersis ornata, fontibus lucidis crebris undis niueas ueluti glareas pellentibus, prenitidisque riuis leni murmure serpentibus ipsorumque in ripis accubantibus suauis soporis pignus praetendentibus, et lacubus frigidum aquae torrentem uiuae exundantibus irrigua.

4: Britain cast adrift

Chapter 14: the beginning of barbarian raids

exin britannia omni armato milite, militaribus copiis, rectoribus licet immanibus, ingenti iuuentute spoliata, quae comitata uestigiis supra dicti tyranni domum nusquam ultra rediit, et omnis belli usus ignara penitus, duabus primum gentibus transmarinis uehementer saeuis, scotorum a circione, pictorum ab aquilone calcabilis, multos stupet gemitque annos.

Chapter 15: a Legion is sent and the Britons build a turf wall

ob quarum infestationem ac dirissimam depressionem legatos romam cum epistolis mittit, militarem manum ad se uindicandam lacrimosis postulationibus poscens et subiectionem sui romano imperio continue tota animi uirtute, si hostis longius arceretur, uouens.

cui mox destinatur legio praeteriti mali immemor, sufficienter armis instructa, quae ratibus trans oceanum in patriam aduecta et cominus cum grauibus hostibus congressa magnamque ex eis multitudinem sternens et omnes e finibus depulit et subiectos ciues tam atroci dilacerationi ex imminente captiuitate liberauit.

quos iussit construere inter duo maria trans insulam murum, ut esset arcendis hostibus turba instructus terrori ciuibusque tutamini; qui uulgo irrationabili absque rectore factus non tam lapidibus quam cespitibus non profuit.

Chapter 16: the enemies return

illa domum cum triumpho magno et gaudio repedante illi priores inimici ac si ambrones lupi profunda fame rabidi, siccis faucibus ouile transilientes non comparente pastore, alis remorum remigumque brachiis ac uelis uento sinuatis uecti, terminos rumpunt caeduntque omnia et quaeque obuia maturam ceu segetem metunt calcant transeunt.

Chapter 17: once again, a Legion is sent to help

itemque mittuntur queruli legati, scissis, ut dicitur, uestibus, opertisque sablone capitibus, inpetrantes a romanis auxilia ac ueluti timidi pulli patrum fidissimis alis succumbentes, ne penitus misera patria deleretur nomenque romanorum, quod uerbis tantum apud eos auribus resultabat, uel exterarum gentium opprobrio obrosum uilesceret.

at illi, quantum humanae naturae possibile est, commoti tantae historiae tragoediae, uolatus ceu aquilarum equitum in terra, nautarum in mari cursus accelerantes, inopinatos primum, tandem terribiles inimicorum ceruicibus infigunt mucronum ungues, casibusque foliorum tempore certo adsimilandam hisdem peragunt stragem, ac si montanus torrens crebris tempestatum riuulis auctus sonoroque meatu alueos exundans ac sulcato dorso fronteque acra, erectis, ut aiunt, ad nebulas undis (luminum quibus pupilli, persaepe licet palpebrarum conuolatibus innouati, adiunctis rimarum rotantium lineis fuscantur) mirabiliter spumans, ast uno obiectas sibi euincit gurgite moles.

ita aemulorum agmina auxiliares egregii, si qua tamen euadere potuerant, praepropere trans maria fugauerunt, quia anniuersarias auide praedas nullo obsistente trans maria exaggerabant.

Chapter 18: the Romans help the Britons build a stone wall

igitur romani, patriae denuntintes nequaquam se tam laboriosis expeditionibus posse frequentius uexari et ob imbelles erraticosque latrunculos romana stigmata, tantum talemque exercitum, terra ac mari fatigari, sed ut potius sola consuescendo armis ac uiriliter dimicando terram substantiolam coniuges liberos et, quod his maius est, libertatem uitamque totis uiribus uindicaret, et gentibus nequaquam sibi fortioribus, nisi segnitia et torpore dissolueretur, inermes uinculis uinciendas nullo modo, sed instructas peltis ensibus hastis et ad caedam promptas protenderet manus, suadentes, quia et hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi ad crescere, murum non ut alterum, sumptu publico priuatoque adiunctis secum miserabilibus indigenis, solito structurae more, tramite a mari usque ad mare inter urber, quae ibidem forte ob metum hostium collocatae fuerant, directo librant; foria formidoloso populo monita tradunt, exemplaria instituendorum armorum relinquunt.

in litore quoque oceani ad meridianam plagam, quo naues eorum habebantur, quia et inde barbaricae ferae bestiae timebantur, turres per interualla ad prospectum maris collocant, et ualedicunt tamquam ultra non reuersuri.

Chapter 19: a third devastation by the barbarians

itaque illis ad sua remeantibus emergunt certatim de curucis, quibus sunt trans tithicam uallem euecti, quasi in alto titane incalescenteque caumate de arissimis formanum couerniculis fuscis uermiculorum cunei, tetri scottorum pictorumque gentes, moribus ex parte dissidentes, sed una eademque sanguinis fundendi auditate concordēs furciferosque magis uultus pilis quam corporum pudenda pudendisque proxima uestibus tegentes, cognitaque condebitorum reuersione et reditus denegatione solito confidentiores omnem aquilonalem extremamque terrae partem pro indigenis muro tenus capessunt.

statuitur ad haec in edito arcis acies, segnis ad pugnam, inhabilis ad fugam, trememntibus praecordiis inepta, quae diebus ac noctibus stupido sedili marcebat. interea non cessant uncinata nudorum tela,

quibus miserrimi ciues de muris tracti solo allidebantur. hoc scilicet eis proficiebat immaturae mortis supplicium qui tali funere rapiebantur, quo fratrum pignorumque suorum miserandas imminentes poenas cito exitu deuitabant.

quid plura? relictis ciuitatibus muroque celso iterum ciuibus fugae, iterum dispersiones solito desperabiliores, iterum ab hoste insectationes, iterum strages accelerantur crudeliores; et sicut agni a lanionibus, ita deflendi ciues ab inimicis discernuntur ut commoratio eorum ferarum assimilaretur agrestium.

nam et ipsos mutuo, perexigui uictus breui sustentaculo miserrimorum ciuium, latrocinando temperabant: et augebantur externae clades domesticis motibus, quod huiusmodi tam crebris direptionibus uacuaretur omnis regio totius cibi baculo, excepto uenatoriae artis solacio.

Chapter 20: an unsuccessful appeal for help

igitur rursum miserae mittentes epistolas reliquiae ad agitium romanae potestatis uirum, hoc modo loquentes: 'agitio ter consuli gemitus britannorum;' et post pauca querentes: 'repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros; inter haec duo genera funerum aut iugulamur aut mergimur;' nec pro eis quicquam adiutorii habent.

interea famis dira ac famosissima uagis ac nutantibus haeret, quae multos eorum cruentis compulit praedonibus sine dilatione uictus dare manus, ut pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent, alios uero nusquam: quin potius de ipsis montibus, speluncis ac saltibus, dumis consertis continue rebellabant.

et tum primum inimicis per multos annos praedas in terra agentibus strages dabant, non fidentes in homine, sed in deo, secundum illud philonis: 'necesse est edesse diuinum, ubi humanum cessat auxilium.' quieuit parumper inimicorum audacia nec tamen nostrorum malitia; recesserunt hostes a ciuibus nec ciues a suis sceleribus.

Chapter 21: peace that leads to sin

moris namque continui erat genti, sicut et nunc est, ut infirma esset ad retundenda hostium tela et fortis esset ad ciuilia bella et peccatorum onera sustinenda, infirma, inquam, ad exequanda pacis ac ueritatis insignia et fortis ad scelera et mendacia. reuertuntur ergo impudentes grassatores hiberni domos, post non longum temporis reuersuri. picti in extrema parte insulae tunc primum et deinceps requieuerunt, praedas et contritiones nonnumquam facientes.

in talibus itaque indutiis desolato populo saeua cicatric obducitur, fame alia uirulentiore tacitus pullulante. quiescente autem uastitate tantis abundantiarum copiis insula affluebat ut nulla habere tales retro aetas meminisset, cum quibus omnimodis et luxuria crescit. creuit etenim germine praepollenti, ita ut competentur eodem tempore diceretur: 'omnino talis auditur fornicatio qualis nec inter gentes.'

non solum uer hoc uitium, set et omnia quae humanae naturae accidere solent, et praecipue, quod et nunc quoque in ea totius boni euertit statum, odium ueritatis cum assertoribus amorque mendacii cum suis fabricatoribus, susceptio mali pro bono, ueneratio nequitiae pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio satanae pro angelo lucis.

ungebantur reges non per deum sed qui ceteris crudeliores exstarent, et paulo post ab unctioribus non pro ueri examinatione trucidabantur aliis electis trucioribus. si quis uero eorum mitior et ueritati

aliquatenus propior uideretur, in hunc quasi britanniae subuersorem omnia odia telaque sine respectu contorquebantur, et omnia quae displicuerunt deo et quae placuerunt aequali saltem lance pendebantur, si non gratiora fuissent displicentia; ita ut merito patriae illud propheticum, quod uetero illi populo denuntiatum est, potuit aptari, 'filii' inquiens 'sine lege, dereliquistis deum, et ad iracundiam prouocastis sanctum israel. quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? omne caput languidum et omne cor maerens: a planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas.'

sicque agebant cuncta quae saluti contraria fuerint, ac si nihil mundo medicinae a uero omnium medico largiretur. et non solum haec saeculares uiri, sed et ipse grex domini eiusque pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint, ebrietate quam plurimi quasi uino madidi torpebant resoluti et animositatum tumore, iurgiorum contentione, inuidiae rapacibus unguis, indiscreto boni malique iudicio carpebantur, ita ut perspicue, sicut et nunc est, effundi uideretur contemptio super principes, seduci uanis eorum et errare in inuio et non in uia.